

202

200

206

196

211

191

251

151

301

101

Ende

Anfang

191

gelista ibi necatus. Si quis Eusebium in Ecclesiastica historia
legerit, pavebit ob immanissimas persecutions, quas passi sunt
Christiani in Aegypto primis temporibus, et mirabitur de fortis-
sima tolerantia poenarum et mortis. De his habetur ubi supra
Lib. VI. Cap. 32. et L. VIII. C. 7. et sequ. Capp. 12, 13 et 17.
Valde pulchrum est legere in praedictis capitulis agones Sanctorum.

Demum, quanti in Aegypto martyrisati sint sub Arriana hae-
resi, horrorem legenti incutit, et non solum desaeviit illa perse-
cutio in loca habitabilia Aegypti, sed et per eremi vastitatem cur-
rebant cum ensibus et monachos in speluncis et cavernis pro
fidei constantia necabant. De his vide in Ecclesiastica historia
L. II. C. 2. et 3., et in variis locis aliis in eadem historia. Non
fuit locus vel regio in mundo, quae tam fortiter pro Christo ago-
nizaverat sicut Aegyptus. Ab hac de civitate Thebea prodiit illa
fortissima legio Thebaeorum, quam S. Mauritius eduxit per mare
Romam, et inde profecti in Alpes ibi pro fide Christi occisi sunt.
Ab illa denique Aegyptica legione multi utriusque sexus usque in Sue-
viam devenerunt, inter quos S. Felix, cum germana S. Regula, et
socio Sancto (140 a) Exsuperantio in Thuregam, imperiale oppidum,
usque devenerunt ibique multis miraculis factis et doctrinis po-
pulum illius civitatis idolis prius deditum converterunt ad Christum,
propter quod detenti a praefecto regionis Decio post plurima
tormenta eis illata, post carcerum squalorem et mirabiles agones
capitis obrunctione martyrium compleverunt anno Domini 35.
sub Diocletiano. Hoc autem singulare et insigne miraculum de
praedictis Sanctis legitur, qui dum decapitati essent juxta fluvium
Limacum, erexerunt se truncata corpora et de terra levaverunt
capita sua sique simul de flumine ascenderunt per XL passus
ad locum, quem sibi pro sepultura elegerant, in quo etiam vi-
ventes orare consueverant, ibique se cum capitibus in terram re-
clinantes quieverunt. Accedentes autem fideles eorum corpora
sepeliverunt. Cum autem crebra ibi clarerent miracula, con-
struxerunt super eorum sepulchra oratorium, sed post multorum
annorum decursum inclitus imperator Carolus Magnus auditis
miraculis et signis super eorum tumbas aedicari fecit ecclesiam
egregiam; canonicis ibi locatis beneficia pinguia ordinavit, unde
usque hodie ecclesia illa doctos litteris habet viros, ornatos vita
et moribus.

